

N.
22.

K.9407

N. N.
Z. 122.

AD

VIRVM PERILLVSTREM ET GENEROSISSIMVM
DOMINVM ~~DOMINVM~~

DE REAVMVR

CADEMIAE REGIAE SCIENTIAR. PARISIENS.
SOCIET. REGIAE PHILOS. LONDIN.

ACADEMIARVM PETROPOLITANAE ET BEROLINENSIS
INSTITVTI BONONIENSIS

MEMBRVM ET SODALEM

COMMENDATOREM ET PRAEFFECTVM ORDINIS REGII
ET MILITARIS SANCTI LVDOVICI

DE

MVSCA-CERAMBYCE

SEV

CERAMBYCE SPVRIO

NOVVM INSECTORVM ORDINEM
CONSTITVENTE

EPISTOLA

IACOBI CHRISTIANI SCHAEFFERI,

PUBLIC. EVANGEL. RATISBONENSIS MINISTRI, REG. SOC. TEVT. GOETTING.
SODALIS HONORARII.

ACCEDVNT FIGVRAE COLORIBVS SVIS
EXPRESSAE.

NORIMBERGAE

IMPENSIS IOAN. MICH. SELIGMANNI.
MDCCLIII.



Veniet tempus , quo ista , quae nos latent , in lucem dies ex-
trahet et longioris aevi diligentia. *Sen.*



Honoratissimae TVAE, VIR PERILLVSTRIS
ET GENEROSISSIME, quas d. xxviii. Ian.
ad me dare dignatus es, litterae, maximo
certe me perfuderunt gaudio; in primis, quum
illas eius, quam omnes in TE mirantur, egre-
giae humanitatis tesseriis completas inuenerim.
Exiguas meas de *apode* pagellas non solum mira complexus es
beneuolentia, verum et easdem non indignas iudicasti, quas
ILLVSTRISSIMAE REGIAE ACADEMIAE VESTRAE
offerres. Accipe hinc publicas, quas TIBI ea, qua par est,
animi reuerentia persolvere debeo, gratias; accipe vota pro peren-
ni TVA salute et incolumitate ardentissima.

Inficias quidem ire non possum, sententiae TVAE me
omnem pagellarum illarum fortunam commisisse; atque a TE, iu-
dice quam maxime competente, & quem vniuersa in hoc studiorum
genere facile principem veneratur Europa, iudicium eo cupidius

exspectasse, quo magis constitueram, nullas in posterum mearum observationum, ad insectorum historiam pertinentium, publici iuris facere, nisi TV, VIR PERILLVSTRIS, lucem illis adiudicasses. Sed quum, id vt faciam, iam beneuole me adhorteris, hoc TVVM consilium mihi praecepti loco est; tantoque fretus praesidio omnes dehinc intendam neruos, ne auctorem suaforemque illarum fuisse TE vmquam poeniteat. *Apodis cancriformis*, seu *monoculi cauda bifeta* LINNAEI, dare historiam non morabor, si modo, quod restat, perficiendi opportuna sese praeberit occasio.

Ceterum, de *apode* tractans, non incognitum TIBI, sed tantummodo, insectum nondum, quod scirem, descriptum, ob oculos ponere cogitavi. Et, si nomen *vacculae aquaticae*, a similitudine *vaccae marinae*, seu *phocae dentibus exsertis* LINNAEI, desumptum, quod ei iam imposuisti, fortuna scire me voluisset, magis id et mihi arrisisset. Quamuis enim haec denominatio mari potius, quam feminae, sit adaequata, meae tamen, vtpote longe generaliori, multo praeferenda est, breuibusque integram fere animalculi descriptionem continet.

Prae omnibus autem grauissima TVA hisce litteris interrumpere studia religioni mihi duxissem, nisi et ad gratissimas TVAS respondere iuberet obseruantia, et TVO consilio in re quadam dubia fulciri quam maxime mihi opus esset.

Ager *Ratisbonensis*, vt et vicina *Bauaria*, sicuti plurimarum rerum naturalium, ita et insectorum innumerabilium, ad-

modum licet ferax, horum tamen scriptorem adhuc inuenit neminem. Ne igitur occulta in his regionibus naturae beneficia et miracula aeternum lateant, sed viri exercitatiores ad suscipiendum tandem et perficiendum hoc opus alliciantur, viam pro virium modulo sternere, nostratiumque insectorum indicem cum breuibus descriptionibus in lucem dare constitui.

At in classibus muscarum constituendis iam occupato improuisum mihi dubium mouit, reipublicae nostrae Senator Praenobilissimus HARRER, quem, vti adfinitas, ita et commune studium mecum coniunxit. Hic ex collectione sua insectum mihi ostendens quaeritavit, vtrum ad diptera, an hymenoptera, an hemiptera, an vero coleoptera LINNAEI pertineat?

Dubius profecto multum haesi, quum primo intuitu externam quidem formam ichneumonis, sed alas duas membranaceas elytraque pusilla conspexissem. Monstrum insecti cernere mihi visus sum, subiitque ea dubitatio, an non e puppa prorepens cerambyx casu fortuito elytra sua vitiauerit, ita vt ad iustam longitudinem magnitudinemque excrescere non potuerint; sicuti in papilionibus muscisque saepe accidere videmus. Quum vero in puppis coleopterorum, quod sciam, elytra licet alias informia, in plicas nullas congesta sint, neque ea, si ad perfectum statum insectum peruenerit, impulsu aëris propriaque grauitate formari demum debeant, vt potius conformata penitus e terra aut lignis putridis progrediantur coleoptera; deinde supra laudatus Adfinitis meus aliud, huic simile, insectum, vtut minus, et in vtroque insecto

perfectam elytrorum formam structuramque prorsus singularem, absque vllis vitiationis vestigiis, monstrauerit; et denique alarum membranacearum nulla, nisi longitudinalis, vt in vespis, plica visui se offerret, ne dicam, quod in coleopteris etiam pars vltima illarum introrsum complicata sit: his rationibus adductus non potui vel inuitus non concedere, hoc animal plane separatum insectorum genus esse, neque cum dipteris, neque cum hemipteris, neque cum hymenopteris, nec denique cum coleopteris CL. LINNAEI ab omni parte conueniens, confirmansque sententiam: naturam legibus nostris neutiquam subiectam esse, neque ullo modo illis posse includi.

Licet interea et haecce infecta satis superque TIBI cognita esse nullus dubitem, operae tamen pretium duxi, breuem illorum descriptionem et figuras TVAE submittere decisioni. Neque enim in excellentissimis, quae edidisti, scriptis, illa inuenire licuit, ordini forsitan coleopterorum, quem maximo desiderio orbis exspectat eruditus, a TE reseruata; neque in aliis quotquot consului, insectorum scriptoribus mentionem illorum fieri deprehendi. Si vero forte sub nomine *necydalis* CL. LINNAEO veniant, ea propter decidere quidquam non audeo, quia id neque ex descriptione, quam IPSE dedit, dilucide adparet; neque duae *necydalis* species, quas in Fauna Suecica recenset, cum meis conueniunt. Acta vero Vpsaliensia, ab IPSE citata, non sunt ad manus.

De

De historia infecti plura scire non contigit, quam quod *maius*, (a) forte fortuna domi in conclavi, rei tornatoriae inserviente, invenerit supra dictus Amicus meus, qui iudicavit illud fortassis ex ligni, cuius magna copia aderat, nominatim ex pruni nuperrime dissectae, cuiusque medulla hinc indeque putrefacta erat, frusto exclusum esse. Aliis tunc distractus negotiis spiritui vini viuum inclusit, pro mare vespae ichneumonis habitum. Sed, quum post aliquot dies extinctum reuidisset, longe aliud insectorum genus esse, re non amplius integra, didicit.

Alterum infectum *minus*, (b) in insula superiori Danubii prope urbem nostram Idem offendit, in eundemque liquorem immisit.

Negari non potest, primo intuitu *maius* infectum descriptioni subiectum facie sua externa, magnitudine, habituque corporis cum mare vespae maximae ichneumonis quam plurimum conuenire. Eam intelligo, quam TV, VIR PERILLVSTRIS, sub nomine *Vespae ichneumonis ex Lapponia* acceptae, elegantissime descripsisti; *Roeseius* noster vero sub nomine *vespae maximae lignorum* egregie depinxit; et quae *tenthredo nigra artubus ferrugineis, corniculo ani cylindrico*, CL. LINNAEO audit, quaeque apud nos admodum frequens est. Sed infectum meum cum illa accurate conferens, longe aliud esse, deprehendi.

Caput enim, non vt in hac vespa, rotundato-compressum et, ad magnitudinem corporis relatum, magnum conspicitur, sed

(a) Fig. I. et II. (b) Fig. VI. et VII.

sed paruum potius et cordiforme, prorsus atrum, corneae duritiei, asperum, villisque quibusdam fulvis, vix nisi oculo armato adparentibus, praesertim collum versus, adpersum, tuberculis insuper duobus eminentibus conspicuum, quibus oculi antennaeque insident. Inter tubercula sulcus in fronte rectus conspicitur, in transverse lunulatum desinens, cauitate lunulae os spectante. Oculi, innumeris lenticulis compositi, nigri splendentes sunt, reniformes, magni. Simples oculos nusquam inueni.

Ex falcata oculorum parte surgit conus inuersus apice truncatus, cauus, qui basis antennarum est. Hae antrorsum directae, tertiam corporis partem longitudine attingunt, rufique coloris sunt, nouem articulis compositae. Articulus primus cono truncato cauo globulo versatili connectitur, duplicique suo tuberculo in basi et apice, vt et longitudine sua, a reliquis distinguitur. Secundus articulus breuissimus est. Tertius primo fere aequalis; reliqui per gradus extremitatem versus breuiores sunt, singularibusque hinc et inde pilis tenuissimis ornati. Apex denique antennarum obtuso mucrone absoluitur.

Os insecti, vt in cerambycibus, formatum est. Labium superius planum, truncatum, articulatum, in extremitate villis fulvis dense obsitum. Huic ex vtraque parte subsunt maxillae transuersae, acuminatae, arcuatae, durissimae, nigrae, splendentes, quibus, tentaculorum instar, insectum vtitur. Has sequuntur antennulae maxillares quatuor laeues, coloris rufi: Superiores duae ad angulos oris positae; inferiores basi sua labium inferius


ferius formant, conniuentes inter se. Omnes tribus constant articulationibus. Extimus articulus, reliquis est crassior; ~~inferius~~ in superioribus longissimus, superioresque inferioribus maiores longioresque. Ceterum in fundo oris corpora duo villosa, fulua, linguarum instar, vt in reliquis cerambycibus, cernere quidem mihi visus sum; sed, quum insectum, quod describo, vnicum possederim, nec cultello anatomico subiici, nec experimenta fortiora ferre potuit; quare partium internarum examen sagacioribus in hac studiorum parte viris relinquere coactus sum.

Caput excipit collum breue, huic adnatum; hocque thorax duplex. Prior, caput versus, marginem habet elatiorem et quasi cucullatum esse videtur insectum. Caput enim erigens omne collum hanc cucullam seu marginem elatiorem intrat. De reliquo thorax teretiusculus est, a tergo conuexus, corneus, nigerrimus, eminentiisque duabus rotundis laeuibus in medio praeditus. Ad latera tubercula minora duo conspiciuntur, quae, vt et inferior thoracis pars, villis fuluis minutis conspersa sunt. Primum par pedum, mox describendorum, huic quoque parti insertum est.

Thorax insequens, vt in coleopteris omnibus, formatus, in ventre quam maxime gibbus, .iisdem villis fuluis, iam saepe nominatis, tectus est; easque continet partes, quae insectum nostrum a reliquis ordinibus distinguunt.

B

Super-



Superne enim in medio scutulum minimum nigrum, triangulare, villosum cernitur, cui elytra pufilla (c) vix magnitudinem feminis canariensis attingentia et oblique dehiscentia, non flexilia, connectuntur, ita tamen posita, vt volatui infecti nullo sint impedimento. Haec elytra perfectissimae sunt figurae, nullaque in illis, vt supra dictum, vitiationis macula adparet; versus basin truncata seu angulata, tuberculo extrorsum notabili signata. In apice rotundato fulcus, ceu canalis, illa ambit; marginemque rotundum circum circa efficit. Reliquum elytrorum punctis sparsis contiguis excavatis minimis repletum est, oculo armato duntaxat conspicuis. Sunt tamen et elytris duae laeues aliae cavitates maiores, etiam nudo oculo obseruandae, villis minutissimis confertae. Quarum mentio eo magis facienda esse videtur, quum elytrorum colorem prorsus immutent. Licet enim color elytris proprius sit rufus, si tamen certo respectu ad lumen illa conuertas, aureum colorem fulgentissimum tunc monstrant hi villi, et gemmae illius prorsus simillimum, quam *oculum cati* nominamus, *opalique* speciem esse nouimus.

Sub his elytris minimis alae duae (d) thoraci iunctae proueniunt, membranaceae, venosae, subfuscae, incumbentes, longitudinem corporis fere adaequantes hocque tegentes, facie externa alas cerambycum aemulantes, in longitudinem complicatae, inque obtusum apicem desinentes.

Vt

(c) Fig. III. et IV. (d) Fig. I. II. VI. VII.

Vt priori thoraci primum par, ita posteriori reliqua duo paria pedum inserta sunt. Pedes anteriores mediis breuiores; postici reliquis duplo longiores sunt; omnes tribus compositi partibus. Pes, proprie seu stricte sic dictus, minutulo vnco duplici, in extremitate dehiscente, ad basin in vnum coalescente, fusco, duro, corneo terminatur, cuius ope insectum asperis corporibus firmissime adhaeret. Hunc excipiunt corpora cordiformia tria, superne villis simplicibus ornata, inferne penicilla exprimentia, tarsosque formantia, quorum auxilio laeuissimis, vt opinor, corporibus infixum manet. Tertium corpus cordiforme in primo pedum pari reliquis fere simile, in secundo longius, in tertio duplo longius existit; coloris in omnibus rufi, et vbi cum tibia connectitur, gracilius. Tibiae hoc in loco duplici spina fusca interne armatae sunt, ipsae rufi coloris. Femora, basin versus, tenuia eiusdem coloris; genua versus nigrofusca, clauata, valdeque crassa sunt, subtilissimis pilis tecta.

Corpus stricte dictum seu abdomen insecti, a basi attenuata in ampliorem figuram adsurgit, mox tamen rursus in obtusum definit apicem; quinque constans annulis, compressum, minutissimis vbique punctis excauatum, nigrum, saltem vbi thoraci iungitur dilutioris coloris. Annulos abdominis, extremitatibus sibi inuicem incumbentes, sulcus ex vtroque latere in tergo excurrit, longitudinalis, plicasque format, qui, vtrum insecto proprius, an ex rugositate, quam corpus spiritu vini imbutum contraxit, ortus sit, vltiora experimenta docebunt.

A parte ventris anfrulus quisque zona laeuissima, nigerrima, splendente, oculos etiam non armatos incurrente, praeditus est. Vltimus articulus aperturam habet, ex qua in nostro, utpote mare, penis longissime prominet, (e) peni cerambycum per omnia simillimus, qui vero in mortuo infecto plane perfecteque indagari non potuit. Hinc figuram saltem externam addere in tabula placuit. (f)

Alterum minus animalculum, (g) ad idem genus insectorum referendum esse, docet facies externa. Hinc etiam, quod in plurimis cum hactenus exposito maiori conuenit, particularem TIBI mittere illius descriptionem, superfluum iudico; differentias tantum specifics, quibus a maiori recedit, adnotaturus. In capite oculi compositi non reniformes, sed oblongi, ei sunt; antennae tamen, multo maiores, longitudinem corporis superant, pilisque longioribus et singularibus praeditae. Thorax magis elongatus, villosior, nullas eminentias obseruanti ostendit. Elytra, proportione cum maiori habita, grandiora quidem sunt, punctis excauatis minimis, e quibus pili longiores, spinarum instar, proueniunt, ornata, et apicem versus magis elongata; sed tertiam vix corporis partem mensura attingunt. Alae quoque proceriores, utpote longitudinem corporis excedentes. Pedes, ut in descripto, nisi quod genua magis clauata, fereque globosa deprehendantur, nigri coloris, pilisque spinosis longis

(e) Fig. I. et II. (f) Fig. V. (g) Fig. VI. et VII.

longis vndiquaque obfiti. Abdomen cono obtufiore terminatur, feminamque effe commonftrat. Tota eius infima fuperficies nigrofufca quidem eft; certo autem refpectu, ad lumen fi oblique infpiciatur, albida adparet. Cuius rei cauffa funt villi minutiffimi diaphani, lumen reflectentes, et, fi oculo armato hanc partem examinaueris, omnino confpiciui.

Atque haec funt, quae de infectis his, meo iudicio plane fingularibus, in medium proferre breuibus mecum conftitueram. *Cerambycum* generi, vt ex descriptione patet, maxime adfinia effe videntur. *Coleopterorum* autem definitio CL. LINNAEI, quod pace tanti Viri dixerim, nequaquam quadrat, quum alae elytris non fint tectae, licet ipfe *necydalim*, fortaffis noftri infecti fpeciem congenerem, *ferficulamque* cum alis, inter elytra non retractis, inter *coleoptera* numeret. Neque ad *hemiptera* releganda funt, quum alae non fint vere cruciatae, fed magis incumbentes, nec os fub thorace inflexum. Claffi *hymenopterorum* vt accenfentur, obftant alae duae. Neque tandem ad *diptera* pertinent, quum nullos halteres habeant, elytrisque fint infttructa. Hinc forfan *cerambyces fpurii* feu *musca - cerambyces* dicenda erunt, exceptionemque a regula *coleopterorum* formabunt.

TV vero, VIR PERILLVSTRIS, et his infectis longe adaequatius fortaffis iam nomen praeparaffi impofuiffique,

qua in re TVAM auctoritatem lubentissime sequar. Ignoscas modo audaciae meae, qua TE vilibus his adnotationibus interpellare, et tempora TVA, maioribus rebus debita, morari sustinui. Quod reliquum est, TIBI persuadeas, velim, summa TVA in rempublicam litterariam merita admiratione et veneratione me prosequi tanta, maiori fieri ut nequeat.

Vale, VIR PERILLVSTRIS, et benevolentia TVA me complecti perge. Dedi Ratisbonae d. XIV. Mart.

M D C C L I I I,



EX-

EXPLICATIO FIGVRARVM.

Fig. I. Musca-cerambyx maior, magnitudine naturali, pronus.

Fig. II. Idem, supinus.

Fig. III. Caput, cum antennis, duplici thorace, et elytris breuibus, microscopio auctum, situ obliquo.

Fig. IV. Thorax primus et secundus, vt et elytra cum scutulo illa coniungente, oculo armato visa.

Fig. V. Penis huius insecti lente auctus.

Fig. VI. Musca-cerambyx alter minor, magnitudine naturali, pronus.

Fig. VII. Idem supinus.



RATISBONAE,
TYPIS EMANUELIS ADAMI WEISII.



EXPLICATIO REGULARVM

- Fig. I. Tabula generalis, quae continet omnes regulas, quae in hoc libro continentur.
- Fig. II. Tabula, quae continet regulas, quae in hoc libro continentur.
- Fig. III. Tabula, quae continet regulas, quae in hoc libro continentur.
- Fig. IV. Tabula, quae continet regulas, quae in hoc libro continentur.
- Fig. V. Tabula, quae continet regulas, quae in hoc libro continentur.
- Fig. VI. Tabula, quae continet regulas, quae in hoc libro continentur.
- Fig. VII. Tabula, quae continet regulas, quae in hoc libro continentur.



EXPLICATIO REGULARVM
 TABULA GENERALIS



Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 5.



Fig. 6.



Fig. 7.



Fig. 4.



Fig. 3.





PANSTWOWE
MUZEUM ZOOLOGICZNE
BIBLIOTEKA

St. Inst. Zool. PAN
Biblioteka

K. 9407.

M
Z.